

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXI - N. 1

1999

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1999

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	5
---	---

ACTA SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Elenchus privilegiorum et facultatum S.R.E. Cardinalium in re liturgica et canonica	11
---	----

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

Instructio <i>De cooperatione missionali</i>	14
--	----

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

Lettera circolare ai Presidenti delle Conferenze Episcopali circa la revisione dei loro Statuti	34
--	----

ACTA CONSILII

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM una cum commentatione Exc.mi Praesidis	38
---	----

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	50
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio V)	53
--	----

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio VI)	116
---	-----

NOTITIAE	164
--------------------	-----

OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	165
--	-----

**COETUS STUDIORUM
« DE SACRAMENTIS »**

Sessio VI
(dd. 7-12 Decembris 1970 habita)

Diebus 7-12 Decembris 1970 in aula Sedis Commissionis Codicis Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Sacramentis (solo excepto sacramento matrimonii). Convenerunt in aula inde ab hora 9,30 a die 7 Decembris 1970: Exc.mus Charue, Ill.mi Sessolo, Medina, Carbone, Rev.mi Patres Bertrams, S.I. Semmelroth, S.I., Abellan, S.I., et Ill.mus W. Onclin, Commissionis Secretarius adiunctus, qui munere praesidis functus est, atque Rev.mus N. Pavoni, adiutor a studiis.

Non adfuerunt Exc.mi Schneider, A. Oldani, I. Matulaitis-Labukas, I. Vaivods, C. Kurteff, Rev.mus II. Rybczyk, legitime impediti.

Quaestio proposita, in hac sessione, tractanda erat: recognitio canonum de Sanctissima Eucaristia (cann. 801-869).


Vota de quaestionibus propositis paraverunt Exc.mi Schneider, Matulaitis-Labukas, Charue, Vaivods; Rev.mi Sessolo, Medina, Bertrams, Rybczyk, Semmelroth.

Antequam tractatur de recognoscenda legislatione de Sanctissima Eucaristia, reconsiderantur canones de Baptismo, de Confirmatione et de Sacramento Infirorum in sessione antecedente probati.

I. DISCEPTATIO DE SACRAMENTO BAPTISMI

**RECOGNITIO TEXTUS CANONUM
IN SESSIONIBUS IV^a ET V^a PROBATORUM**

Ad textum aliquorum canonum tantummodo, animadversiones faciunt Coetus Consultores, proponentes ut quaedam introducantur mutationes in textu, qui in anteriore sessione adprobatus est.



Can. 1 (CIC 737)

Rev.mus primus Consultor quaestionem ponit utrum omitti debeat verbum «tantummodo» in par. 1.

Rev.mus Secundus Consultor proponit ut dicatur «cum legitima verborum forma» loco «cum praescripta verborum forma».

Placet omnibus emendatio a Rev.mo secundo Consultore proposita.

Can. 27 (novus)

Rev.mus primus Consultor, cui consentit Rev.mus secundus, proponit ut tollantur verba «quantum id fieri possit», quia censem duos testes, quibus collatio baptismi probari possit, necessarios esse.

Alii canones de Sacramento baptismi placent omnibus uti sunt.

II. DISCEPTATIO DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

RECOGNITIO TEXTUS CANONUM IN SESSIONE V^a PROBATORUM

Can. 1

Rev.mus primus Consultor ad can. 1 par. 2 proponit ut verba «ad normam canonis 3, par. 2, 4 et 5 ministretur» sequenti modo emendentur: «ad normam canonum qui sequuntur a presbytero ministretur».

Emendatio proposita placet omnibus.

Can. 6 (CIC 783)

Rev.mus tertius Consultor ad § 2 censem ultimam lineam indicare modum non autem naturam actionis liturgicae itaque supprimi posse.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco «privatim» dicatur «modo non sollemniore».

Exc.mus quartus Consultor ad § 2 affirmit quod indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta Ordinarii loci etiam si agatur de propriis subditis.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ultima verba «nisi agatur etc...» supprimantur.

Concordant omnes, de emendationibus a Rev.mis Secretario ad. et tertio Consultore propositis.

Can. 12 (CIC 788)

Rev.mus primus Consultor, ratione latinitatis, proponit ut loco particulae « si » dicatur « nisi ».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut ultima verba sequenti modo mutentur: « ... aut iudicio ministri, gravis alia causa id suadeat ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ultima pars canonis quae ita incipit « nisi in casu... etc. » sequenti modo mutetur: « nisi adsit periculum mortis aut de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat ».

Emendatio a Rev.mo Secretario ad. proposita placet omnibus.

Can. 17 (CIC 795)

Rev.mus sextus Consultor quaestionem ponit utrum quis plurium confirmatorum patrinus esse possit necne.

Rev.mus septimus Consultor censet quaestionem relinquendam esse Conferentiis Episcoporum.

Exc.mus quartus Consultor proponit ut de hac re libertas relinquatur ita ut ille qui pueros ad S. Confirmationem parat, si vult, patrinus plurium ipsorum esse possit.

Alii canones de sacramento Confirmationis placent omnibus, uti sunt.

III. DISCEPTATIO DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM

Ad Can. I

Rev.mus Secretarius ad. refert Consultoribus respcionem a S. Congregatione pro Doctrina Fidei datam ad quae situm de oleo olivarum ab ipsa Commissione propositum.

Ita sonat quae situm propositum a Commissione: « Ad normam can. 937 CIC, Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito *oleo olivarum* rite benedicto. Quaeritur utrum statui valeat hoc Sacramentum conferri posse per unctionem, adhibito oleo sive ex olivis sive ex aliis: fructibus aut plantis proveniente. Praescriptum ita emendatum magis accommodatum esset moribus regionum, in quibus non utuntur oleo olivarum, immo quandoque hoc oleum non ita facile acquiri potest.

Quare, proponitur ut ita emendari possit praescriptum canonis: ‘Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito rite benedicto

oleo ex olivis aliisve fructibus aut plantis proveniente, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta' ».

S. Congregatio pro doctrina Fidei sequenti modo respondit die 10 iulii 1970.

Ad primum quae situm (can. 937)

Placet nova disciplina ut in novo textu proposita; optatur tamen ut indicetur aliquomodo praferentia olei olivarum (e.g. « ... adhibito rite benedicto oleo ex olivis aut alio oleo vegetali »).

Ipse Rev.mus Secretarius ad. proponit ut verba « adhibito oleo olivarum rite benedicto » sequenti modo mutentur: « adhibito rite benedicto oleo ex olivis aut alio oleo vegetali ».

Rev.mus primus Consultor e contra proponit ut verba (« adhibito oleo olivarum rite benedicto » maneant uti sunt et adiungantur verba « aut aliis ex fructibus vel plantis »). Rev.mus Secretarius ad. proponit ut textus sit « ... adhibito rite benedicto oleo ex olivis aut aliis ex fructibus vel plantis, et... ».

Placet omnibus textus, ita ut sit: « Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito rite benedicto oleo ex olivis aut aliis ex fructibus vel plantis, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta ».

Ad Can. 3

Rev.mus Secretarius adiunctus ad § 2 refert responsum a S. Congregatione pro doctrina fidei datum ad quae situm a nostra Commissione propositum.

Quae situm propositum ita sonat: « Ad normam can. 940 § 2 CIC, 'In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post suspectam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit'.

Cum hoc Sacramentum non imprimat characterem, et, ad normam canonis citati, iterari possit, validae coetui Commissionis apparent esse rationes pastorales cur repetitis vicibus Unctio infirmorum ministretur eadem gravi infirmitate durante, si collatio huius Sacramenti ad levamen aegrotantis revera conferre possit.

Itaque, quatenus affirmative et auctoritative soluta fuerit a Sacra Congregatione de Doctrina Fidei quae sitio utrum valide haec iterata collatio fieri possit (quod inter Auctores hodie disputatur): proponitur ut canonis schema statui valeat ita emendatum: 'Etiam eadem gravi infirmitate durante, hoc Sacramentum iterari potest, si id, de iudicio ministri, ad aegrotantis levamen reapse conferat'.

Adnotare liceat coetum Commissionis in redigendo novo schemate can. 940 § 1 maluisse loqui de ‘gravi infirmitate’ quam de ‘periculo mortis’, idque iuxta praescripta Concilii Tridentini (cf. sess. XIV, de extrema unctione, c.1.3) et spiritum Concilii Vaticani II, necnon opiniones recentium quorundam Auctorum».

Sacra Congregatio Pro Doctrina fidei sequenti modo respondit:

«*Ad secundum quaesitum* (can. 940, par. 2): Dilata et fiat profundius studium de quaestionibus dogmaticis, circa iterabilitatem».

Omnes Consultores consentiunt ut pro nunc maneat textus uti iacet et proponunt ut Rev.mus sextus Consultor una cum docto historico instituat profundius studium de quaestionibus dogmaticis circa iterabilitatem huius sacramenti.

Rev.mus primus Consultor ad § 2 proponit ut pronomen «quandam» omittatur e contra omnes alii consentiunt ut pronomen maneat.

Ad Can. 8 (CIC 945)

Rev.mus Secretarius ad. refert responsum datum a S. Congregatione pro doctrina fidei de emendatione canonis 945 a Commissione proposita.

Commissio proposuit ut canon ita emendaretur: «§ 1. Oleum in Unctione infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis S. Sedis hac facultate gaudet.

§ 2. Ipso iure oleum adhibendum in Unctione infirmorum benedicere possunt:

- 1) qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;
- 2) in casu verae necessitatis, quilibet presbyter».

Alii canones de sacramento Unctionis infirmorum placent omnibus uti sunt.

IV. DISCEPTATIO DE SACRAMENTO SS. EUCHARISTIAE

Rev.mus Secretarius ad. ante omnia ponit quaestionem de ordine dicendorum et refert quae Exc.mus octavus Consultor scribit in voto scilicet:

«I. Sacrosanctum Sacrificium Missae iuxta Constitutionem de Sacra Liturgia aliaque documenta conciliaria nullo modo cadit sub notione ‘Sa-

cramentorum'. Quapropter canones ad Eucharistiae mysterium spectantes in distincta parte vel distinctis titulis initio libri 'De rebus' ponantur. Perinde tota materia libri tertii Codicis ita vel similiter disponatur:

Pars prima: De cultu divino

Tit. I De sacrificio eucharistico (nunc cann. 801-844)

Tit. II De Eucharistia ut sacramento permanenti (nunc cann. 845-869 et 1265-1275)

Tit. III De culto sacro no-eucharistico (cann. 1276-1321)

Pars secunda: De ceteris Sacramentis et de Sacramentalibus».

Consultores non consentiunt de ordine dicendorum ab Exc.mo octavo Consultore proposito. Ipsum enim sacrificium est sacramentum.

Rev.mus Secretarius ad. refert ordinem iam propositum in ultima sessione, scilicet:

Canon introductorius.

Caput 1. De Ministro.

" 2. De ritibus et caeremoniis.

" 3. De tempore et loco.

" 4. De stipendiis et elemosinis Missarum.

Hic ordo placet omnibus.

QUAESTIO DE CANONE INTRODUCTORIO

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit pro canone introductorio (nunc 801) sumi posse textum canonis 65, § 1 legis fundamentalis.

Exc.mus quartus Consultor declarat quod magni momenti est affirmare celebrationem S. Eucharistiae esse actionem Ecclesiae, scilicet, baptizatum communitatis, antequam declarentur partes quas unusquisque in celebratione habere debet.

Rev.mus sextus Consultor affirmit quod celebrat S. Missam non solus sacerdos, sicuti appareat in antiquo Codice, sed communitas fidelium ad celebrandam Eucharistiam collecta.

Uique haec communitas structuram habet, in qua sacerdos speciale habet functionem agendi in persona Christi. Hoc munere fungi potest solus sacerdos valide ordinatus, neque missa celebrari potest sine sacerdote. Tamen exprimi debet totam communitatem esse subiectum celebrans Missam.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in canonibus 51, 62, 65 § 1,

2, 3, 4 Legis Fundamentalis affirmatur omnes Christifideles, partecipando concurrere ad Eucharisticam celebrationem.

Rev.mus Secretarius ad. legit quod scribit Rev.mus primus Consultor in voto ad can. 802 scilicet: «Can. 802 – Servetur. Sed forte addi potest in altera parte (cf. *Ordo Missae*, instr. gen., n. 58): § 2. Alii ministri et fideles, si Missae celebrationi intersint, ius habent et officium participationem suam afferendi (diverso modo) pro diversitate ordinis et munera iuxta normas in probatis liturgicis libris datas».

Etiam Rev.mus quintus Consultor in suo voto commendat ut in nova redactione can. 802 Consultores rationem habeant de iis quae in Lege Fundamentalis can. 65 iam dicta sunt, scilicet: solus sacerdos valide ordinatus est minister celebrationis eucharistici sacrificii, sed etiam christifideles qui celebrationi Missae intersint ius habent et officium participationem suam afferendi pro diversitate ordinis et munera.

Rev.mus sextus Consultor non consentit cum Rev.mo quinto Consultore de iis quae in suo voto scribit, scilicet «minister validae celebrationis sacrificii eucharistici est solus sacerdos valide ordinatus», quia animadvertisit etiam fideles celebrationi Missae participare.

Rev.mus secundus Consultor admittit quod etiam fideles celebrationi participant, sed animadvertisit sacerdotem, ipsius Christi sacerdotii participantem esse et in persona Christi agere et ad cultum divinum celebrandum speciali modo deputari.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod «Sacerdotium Regale» fidelium non habere valorem sine sacerdotio ministeriali.

Ipse suggerit ut in canone dicantur sequentia:

- 1) celebratio Eucharistica est actio totius Ecclesiae cui nomine Christi praesidet sacerdos, minister huius sacramenti proprius;
- 2) alii ministri aliter ac sacerdos participant;
- 3) omnes christifideles, suo quisque modo, partecipando concurrunt.

Rev.mus primus Consultor refert quod dicitur in Proemio *Institutionis Generalis Missalis Romani* nn. 4, 5, scilicet:

n. 4. Natura vero sacerdotii ministerialis, quod presbyteri proprium est, qui in persona Christi sacrificium offert coetique populi sancti praesidet, in ipsius ritus forma, e praestantiore loco et munere eiusdem sacerdotis elucet [...].

n. 5. Sed hac sacerdotii ministerialis natura etiam aliud quiddam, magni sane faciendum, in sua luce collocatur, id est regale sacerdotium fidelium, quorum sacrificium spirituale per presbyterorum ministerium in unione

cum sacrificio Christi, unici Mediatores, consummatur. Namque celebratio Eucharistiae est actio Ecclesiae universae; in qua unusquisque solum et totum id agat, quod ad ipsum pertinet, respectu habito gradus eius in populo Dei. Quo efficitur, ut etiam rationes quaedam celebrationis magis attendantur, quibus saeculorum decursu interdum est minor cura adhibita [...].

Hic enim populus est populus Dei, sanguine Christi acquisitus, a Domino congregatus, eius verbo nutritus, populus ad id vocatus, ut preces totius familiae humanae ad Deum admoveat, populus, qui pro mysterio salutis gratias in Christo agit eius Sacrificium offerendo, populus denique, qui per communionem Corporis et Sanguinis Christi in unum coalescit.

Rev.mus Secretarius ad. mentionem facit de Const. *Lumen Gentium* n. 26 ubi legitur: «Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est *oeconomus gratiae supremi sacerdotii*, praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia. Haec Christi Ecclesia vere adest in omnibus, legitimis fidelium congregationibus localibus, quae, pastoribus suis adhaerentes, et ipsae in Novo Testamento Ecclesiae vocantur»,

Rev.mi sextus et secundus Consultores ad can. 65 § 4 Legis Fundamentalis, si textus illius canonis transferatur in Codicem, proponunt ut dicitur in relatione, quod verba «una cum» significat «simul».

Exc.mus quartus Consultor refert quod scribit in voto de participazione fidelium ad Eucharisticum misterium, scilicet: «Cristifideles non tamquam extranei vel muti spectatores eucharistico mysterio intersint, sed ut conscie, pie et actuose participantes sacrae actioni. Sollicite ergo current pastores ut verbo Dei instituantur, mensa Corporis Domini reficiantur, gratias Deo agant, immaculatam hostiam, *non tantum per sacerdotis manus, sed una cum ipso offerentes*, seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo Mediatore, in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus».

Disceptatio dein fit de textu a Rev.mo Secretario ad. proposito de canone introductorio et de Ministro SS. Eucharistiae.

Textus a Rev.mo Secretario ad. propositi:

Art. 1

De ministro

Can. 1

§ 1. Celebratio eucharistica est actio ipsius Ecclesiae, cui in persona Christi praesidet sacerdos, ut proprius huius sacramenti minister.

§ 2. Minister aptus ut celebrationi eucharisticae praesideat sacramentumque conficiat est solus sacerdos valide ordinatus.

§ 3. Alii ministri sacri ceterique christifideles, qui celebrationi eucharistiae intersint, quisque suo, pro ordinum et munerum diversitate, modo eandem participant.

Aut

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

Can. 1

Eucharistica celebratio, in qua ipsem Christus Dominus offertur et sumitur, est actio ipsius Ecclesiae, cui in persona Christi praesidet sacerdos, minister huius sacramenti proprius, et quam alii ministri sacri ceterique christifideles suo quisque, pro ordinum et munerum diversitate, modo participant (aut: et ad quam alii ministri sacri ceterique christifideles, suo quisque, pro ordinum et munerum diversitate, modo, participando concurrunt).

Art. 1

De ministro

Can. 2

§ 1. Minister aptus ut celebrationi eucharistiae praesideat et Sacrificium eucharisticum in persona Christi conficiat est solus sacerdos valide ordinatus.

§ 2. Liceat celebrat sacerdos poena canonica non impeditus, attentis praescriptis canonum qui sequuntur.

Rev.mus Secretarius ad. censem secundam propositionem melius convenire, quia «alii ministri sacri», de quibus sermo fit in par. 3 textus primae propositionis, non sunt proprie ministri.

Rev.mus primus Consultor praefert secundum textum propositum et suggerit ut ad can. 1 loco «alii ministri sacri» dicatur tantum «alii ministri».

Etiam Rev.mus quintus Consultor praefert secundam propositionem sed proponit ut adiungatur verbum «Episcopus» ita ut textus sonet «...cui in persona Christi praesidet Episcopus aut sacerdos...».

Respondet Rev.mus sextus Consultor quod emendatio non videtur necessaria quia sacerdos Eucharistiam conficit ex mandato Episcopi. Ipsem et Exc.mus quartus Consultor praefert textum II^{ae} propositionis, sed proponit ut in secunda linea loco « ipsius Ecclesiae » dicatur « totius Ecclesiae ».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut aliquo modo exprimatur in tex- tu quod actio ipsius Ecclesiae proprie se refert ad eos qui in ipsa actione sunt praesentes.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit praesentes participare ad actionem Eucharisticam tamquam Christifideles non autem tamquam ministros.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut supprimatur verbum « ministri ».

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit diaconum speciali modo parti- cipare ad Eucharistiam. Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem formulam: « ceterique fideles in Christo uniti ».

Rev.mus quintus Consultor suggerit sequentem formulam: « Alii Chri- stifideles praesertim adstantes ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emenda- tum:

« Can. 1. Eucharistica celebratio, in qua ipsem Christus Dominus offertur et sumitur, est ipsius Ecclesiae actio, cui in persona Christi praesi- det sacerdos, minister huius sacramenti proprius, et ad quam ceteri qui in- tersunt christifideles, suo quisque modo, pro ordinum et munerum diver- sitate, partecipando concurrunt ».

Omnes Consultores concordant de textu can. 1 a Rev.mo Secretario ad. emendato; et fit transitus ad Art. 1 de Ministro.

DISCEPTATIO DE MINISTRO SS. EUCHARISTIAE

Can. 2 (CIC 802)

Rev.mus sextus Consultor proponit ut textus § 1 a Rev.mo Secretario ad. paratus sequenti modo emendetur: « Minister aptus qui in persona Christi celebrationi Eucharisticae praesideat et Sacrificium eucharisticum conficiat est solus sacerdos valide ordinatus ».

Textus hoc modo propositus placet omnibus.

Rev.mus primus Consultor ad § 2 proponit verbum « servatis » loco « attentis ». Placet omnibus.

Can. 803

Agitur hic de concelebratione, de qua, secundum plures Consultores, agi deberet aut posset in capite de ritibus et caeremoniis.

Exc.mus nonus Consultor proponit ut canon supprimatur.

Exc.mus quartus Consultor censem textum canonis omnino mutandum esse et proponit novum textum, scilicet:

§ 1. Nisi utilitas fidelium hoc impedit, praestat sacerdotes concelebrare quoties ad sacrificium eucharisticum conficiendum coadunati inventiuntur.

Quae regula generalis melius accommodari videtur cum principio sic enuntiato: «Concelebratio, qua unitas sacerdotii optime manifestatur,...» (*Sacr. Conc.*, n. 57, § 1). Quare, reductio concelebrationis ad quosdam causas tantum (*ibidem; Missale Rom.*, n. 153), iam omitti posset.

§ 2. Ubi magnus habetur numerus sacerdotum, concelebratio fieri potest etiam pluries codem die, sed temporibus subsequentibus vel in locis diversis (*Missale Rom.*, n. 154)

§ 3. Integra tamen manet cuique sacerdoti facultas missam singularem celebrandi, non vero eodem tempore in eadem, ecclesia, nec feria quinta maioris hebdomadae (*Sacr. Conc.*, n. 57, § 2, n. 2). Cf. quoque Instr. *Eucharisticum Mysterium*, diei 25 maii 1967, n. 47.

Rev.mus sextus Consultor ad commentarium § 1 notat quod concelebratio non significat solummodo «unitatem sacerdotii» sed etiam collegialitatem.

Rev.mus quintus Consultor estimat sufficiens esse ut de concelebratione in libris liturgicis mentio fiat itaque proponit ut canon supprimatur.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius ad. disciplinam concelebrationis pertinere ad ius disciplinare ergo declarat quod in Codice aliquid dici debet.

Rev.mus secundus Consultor admittit textum Exc.mi quarti Consultoris sed monet ne canon nimis urgeat ita ut nemo concelebratione abutatur.

Concordant omnes de textu ab Exc.mo quarto Consultore parato et faciunt sequentes animadversiones:

Ad § 1

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur, «aliud suadeat» loco «hoc impedit»; et «licet sacerdotibus» loco «praestat sacerdotes», item «confecturi» loco «ad conficiendum»; «sint» loco «inveniuntur».

Consentient omnes de emendationibus a Rev.mo Secretario ad. propositis, itaque textus erit: «§ 1. Nisi utilitas fidelium aliud suadeat, licet sacerdotibus concelebrare quoties sacrificium eucharisticum confecturi coadunati sunt».

Petit Rev.mus primus Consultor utrum sacerdotibus liceat concelebrare etiam invito Episcopo necne. Respondet affirmative Rev.mus Secretarius ad. quia agitur de norma generali in Codice. Etiam Rev.mus tertius Consultor notat quod distinguendum est inter facultatem generalem et facultatem particularem qua Episcopus, concelebrationis disciplinam in sua dioecesi moderari potest.

Rev.mus quintus Consultor peropportune refert n. 155 *Institutionis Generalis Missalis Romani* in quo legitur: «Episcopi est, ad normam iuris, concelebrationis disciplinam in sua dioecesi moderari, etiam in exemptorum ecclesiis et oratoriis semipublicis...».

Ad. § 2

Animadvertisit Rev.mus quintus Consultor quod tria sunt principia servanda in disciplina concelebrationis scilicet:

- 1) utilitas fidelium;
- 2) libertas concelebrationis etiam pluries eodem die ubi magna habetur copia sacerdotum;
- 3) libertas celebrandi missam pro sacerdote ut singulo.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut § 3 a Exc.mo quarto Consultore proposita anteponatur § 2 quae fiat tertia.

Concordat Rev.mus Secretarius de suggestione Rev.mi tertii Consultoris et proponit ut loco «Missa singularem» dicatur in prima linea § 3 quiae fit 2 «Integra tamen manet sacerdotibus ut singuli missam celebrent...».

Rev.mus tertius Consultor declarat quod «Missa singularis» est modus dicendi Conc. Vat. II: nam in Const. De Sacra Liturgia, n. 57, 2º dicitur: «Salva tamen semper sit cuique sacerdoti facultas Missam singularem celebrandi, non vero eodem tempore in eadem ecclesia, nec feria V in Cena Domini».

Tamen admittit emendationem a Rev.mo Secretario ad. factam.

Rev.mus primus Consultor, una cum Rev.mo Secretario ad. proponit textum § 3 quae fit 2 sequenti modo emendatum: «Integram tamen est sacerdotibus ut singulis missam celebrent, non vero tempore quo in eadem Ecclesia fit concelebratio nec feria quinta maioris hebdomadae».

Rev.mus Secretarius ad. facit etiam sequentes quaestiones quae in proxima sessione solvendae sunt scilicet:

1) utrum duplex paragraphus facienda sit de textu ab Exc.mo quarto Consultore proposito necne.

2) utrum disciplina Concelebrationis ponenda sit in capite ubi de ritibus et coheremoniis an in hoc capite.

Rev.mus quintus Consultor ad secundum respondet quod disciplina de Concelebratione magis coaetheret cum disciplina de ritibus et caeremoniis; deinde ipse suggestit ut in Codice enixe commendetur omnibus sacerdotibus quotidiana SS.mae Eucharistiae celebratio.

Can. 804

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in canone sermo fiat tantum de Ordinariis et omittatur verbum «superior». Respondet Rev.mus tertius Consultor quod nomine Ordinarii non venit necessarie omnis Superior quia adsunt plures Superiores qui non sunt Ordinarii.

Instat Rev.mus Secretarius ad. quo in Codice recognoscendo iam admissum est quod nomine «Ordinarii» veniunt etiam Superiores omnes.

Rev.mus tertius Consultor ad § 2 animadvertisit vestem ecclesiasticam nunc amplius non constituere aliquam presumptionem, itaque proponit ut verba «ecclesiastica veste indutus» omittantur.

Rev.mus secundus Consultor aestimat textum in voto a Rev.mo quinto Consultore propositum admitti posse, sed in forma breviore.

Omnis Consultores concordant de textu a Rev.mo quinto Consultore in voto proposito, scilicet: «§ 1. Sacerdos ignotus rectori ecclesiae in qua celebrare desiderat admittatur dummodo aut litteras commendatitias sui Ordinarii exhibeat, aut alio modo ipsi rectori de eius probitate constet.

§ 2. Integrum est Ordinario loci hac de re magis determinatas normas edere ab omnibus sacerdotibus servandas, nisi agatur de religiosis admittendis ad celebrandum in ecclesiis sui Instituti».

Placet ut hi textus sumantur uti basis canonis conficiendi, in § 2 tamen mentione expresse facta «etiam religiosis exemptis».

Can. 805

Rev.mus Secretarius ad. legit quod scribit Rev.mus quintus Consultor de hoc canone in voto, scilicet: «Omnibus sacerdotibus enixe commendata-

tur quotidiana SS.mae Eucharistiae celebratio; ex pracepto vero Ecclesiae omnes sacerdotes tenentur saltem pluries in annum litandi.

Nota: Pro prima sententia cf Vat. II Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 13 et Instr. *Eucharisticum Mysterium*, n. 44. Secunda sententia desumitur ex can. 805, dempta eius secunda parte quae aliquomodo reasumpta est in prima parte textus propositi».

Etiam Exc.mus quartus Consultor animadvertisit Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 13 et Instr. *Eucharisticum Mysterium* n. 44 commendare quotidiam celebrationem.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod in Codice affirmari debet:

- 1) Sacerdotes commendantur ut quotidie celebrent;
- 2) Sacerdotes ad quotidiam celebrationem obligantur si cura animarum hoc exigat;
- 3) Sacerdotes pluries saltem in annum sacrificium offerant.

Etiam Rev.mus secundus Consultor proponit ut in Codice:

- commendetur quotidiana celebratio praesertim sacerdotibus qui curam animarum obligantur;
- affirmetur quod Sacerdotes saepius tenentur in anno litare si bonum animarum id suadeat.

Rev.mus Secretarius ad. praefert verba «pluries in anno» loco «saepius in anno», tamen ipse proponit «frequenter» quod placet omnibus.

Ipse Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum qui placet omnibus Consultoribus: «Sacerdotes celebrent frequenter praesertim si bonum Cristifidellum id suadeat; enixe ipsis quotidiana celebratio commendatur».

Can. 806

Rev.mus Secretarius ad. refert textum de canone a Rev.mo quinto Consultore in voto parato scilicet: «Unicuique sacerdoti, praeterquam in die Nativitatis Domini et aliis diebus in iure liturgico statutis, semel tantum in die licet celebrare aut concelebrare, nisi ex Ordinarii loci licentia, propter penuriam cleri et veram necessitatem pastoralem concessa eidem facultas facta sit bis diebus ferialibus vel etiam ter diebus de pracepto Sacrum facere».

Exc.mus quartus Consultor proponit sequentem textum: «Propter penuriam cleri et iusta de causa, licet sacerdoti bis in die Missam celebrare; et etiam ter, si vera necessitas id postulet» (*Pastorale Munus*, n. 2) et declarat

quod hodie quaeritur apud plures utrum retineri oporteat necne regula de triplici celebratione omnibus concessa die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium.

Rev.mus primus Consultor proponit textum, qui sequitur: «§ 1. Exceptis diebus quibus ad normam legum liturgicarum facultas fit plures celebrandi vel concelebrandi eodem die, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario.

§ 2. Ordinarius autem loci facultatem habet concedendi sacerdotibus ut, propter penuriam cleri et iusta de causa, Missam bis diebus ferialibus celebrare possint; et etiam ter diebus dominicis aliisque festis de praecepto, si vera necessitas pastoralis id postulet».

Hic quaestiones sequentes ponuntur:

1) utrum facultas celebrandi bis in die feriae concedi debeat ipso iure necne.

Concordant omnes ut facultas ipso iure concedatur.

2) Utrum dici debeat in canone formula «offerre Sacrificium Eucharisticum» an formula «celebrare Eucharistiam».

Concordant omnes de formula «celebrare Eucharistiam».

3) Utrum sacerdos qui iam celebravit aut concelebravit aut celebratus est, possit etiam cum aliis sacerdotibus concelebrare necne.

Declarat Rev.mus Secretarius ad. quod norma Missalis Romani est nimis restricta: ergo de se sacerdos non potest concelebrare, aestimat normam generalem in ipso Codice esse stabiliendam.

Proponit Rev.mus sextus Consultor ut normae de hac re statuendae deferantur ad Conferentias Episcoporum.

Can. 807

Aliqui Consultores ut Rev.mi sextus et Secretarius ad. aestimant canonom hunc non continere materiam Codicis iuris sed potius pertinere ad ambitum moralem quam iuridicum, itaque proponunt ut supprimatur.

Alii ut Rev.mi quintus et secundus censent aliquam requiri normam de hac materia saltem ubi de subiecto Sacrae Communionis agitur.

Alii ut Rev.mi primus et tertius proponunt ut canon servetur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut aliquid dicatur indirecto modo cum agitur de dispositionibus requisitis ut digne quis SS. Eucharistiam percipiat.

Instat Rev.mus secundus Consultor quod hodie ad vitandum periculum ambiguitatis inter confessionem particularem et actum poenitentiae in ritu

initiali S. Missae, videtur valde opportunum in Codice affirmare quod nullus sibi conscius peccati mortalis, absque praemissa sacramentali confessione, ad SS. Eucharistiam accedere debeat; quod si, necessitate urgente, sacerdos, absque praevia confessione, celebraverit, prima occasione opportuna, confiteatur.

Concordat ipse Rev.mus secundus Consultor ut in alio loco haec materia tractari possit, sed declarat quod etiam in hoc loco in recognoscendis sacris canonibus debeat attendi ad restituendum valorem sacramento poenitentiae.

Can. 808

Concordant omnes ut canon ponatur ubi de subiecto Sacrae Communionis agatur.

Can. 809

Rev.mus primus Consultor aestimat hunc canonem servari posse.

Rev.mus quintus Consultor putat hunc canonem omitti posse: nam idem dicitur in normis de elemosynis pro Missarum oblatione, vel posse illic trasferri.

Exc.mus quartus Consultor censem canonem transferri posse, et proponit mutationem iuxta *Lumen Gentium*, n. 51, scilicet: « tum etiam defunctis qui adhuc purificantur », loco « defunctis purgatorio igne...expiantibus ».

Rev.mi secundus et sextus Consultores proponunt sequentem textum: « Integrum est Missam applicare pro vivis et pro defunctis ».

Concordant omnes de textu proposito a Rev.mis secundo et sexto Consultoribus.

Can. 810

Rev.mus sextus Consultor proponit ut supprimatur canon quia non est materia Codicis, etiamsi monitio quidem magni est momenti.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod canon est materia Codicis quia continet praeceptum; itaque proponit ut non supprimatur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon ponatur ubi de subiecto SS. Eucharistiae. Concordant omnes de suggestione a Rev.mo Secretario ad. proposita.

Can. 811

Rev.mus Secretarius ad. ad § 1 proponit ut canon maneat uti est exceptis verbis « quae ad talos pertingat » et transferatur ad Art. De ritibus et caeremoniis.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut tollantur verba « vestem convenientem quae ad talos pertingat ».

Rev.mus quintus Consultor refert quod dicit de veste sacra *Instructio tertia ad Constitutionem de Sacra Liturgia recte exequenda* n. 8, c scilicet: « Vestis sacra, omnibus ministris cuiusvis gradus communis, est alba. Reprobatur abusus Missam celebrandi vel etiam concelebrandi cum stola super « cucullam » monasticam, vel super vestem ordinariam clericalem nedum civilem. Non licet pariter sacras alias actiones peragere, veluti manus imponere in Ordinibus conferendis, vel alia Sacraenta administrare, aut benedictiones impertire, sola adhibita stola super vestes, ut aiunt, civiles ».

Ad § 2. Concordant omnes ut deleatur.

Can. 812

Concordant omnes ut canon supprimatur.

Can. 813

Rev.mus quintus Consultor proponit textum sequentem: « Sacerdos si ne ministro qui partes suas secundum normas liturgicas agat, Missam ne celebret, nisi ex gravi necessitate; si vero ei mulier ministretur, ipsa ad altare ne accedat ».

Rev.mus septimus Consultor ad § 2, ubi sermo fit de muliere, refert quod dicit *Instructio tertia de Sacra Liturgia*, n. 7: scilicet: « Iuxta liturgicas normas in Ecclesia traditas, vetantur mulieres (puellae, nuptiae, religiosae), ne in ecclesiis quidem, domibus, conventibus collegiis, institutis mulieribus, ad altare sacerdoti inservire ».

Rev.mus secundus Consultor suggerit ut de hac materia norma non statuatur.

Rev.mus primus Consultor proponit una cum Rev.mo Secretario ad. sequentem textum: « Sacerdos ne celebrent sine ministro ad normam legum liturgiarum nisi ex necessitate aut (extra casum necessitatis) ».

Rev.mus primus Consultor sugerit ut de mulieribus sermo non fiat.

DISCEPTATIO DE MINISTRO S. COMMUNIONIS

Can. 845

Rev.mus Secretarius ad. refert quod Rev.mus primus Consultor scribit in voto, scilicet:

«*Can. 845, § 1.* Recognoscatur (cf. M.p. *Sacrum Diaconatus ordinem*, n. 22,3): Minister ordinarius sacrae communionis est sacerdos et insuper diaconus, si accedat loci Ordinarii commissio.

§ 2. Recognoscatur (cf. Instr. *Eucharisticum Mysterium*, n. 33, c): Minister extraordinarius est vir vel etiam mulier, qui Apostolicae Sedis indulto facultatem habeat».

Rev.mus secundus Consultor videt necessariam esse distinctionem inter sacerdotem et diaconum, qui est subsidiarius relate ad sacerdotem.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit quod praesbyter per ordinacionem habet maiorem participationem muneri Episcopi, quia ex natura munera sui sacerdotis est Eucharistiam distribuere; e contra ex natura munera, diaconi est propriam diaconiam exercitare.

Rev.mus quintus Consultor respondet quod iam ex antiquo diaconi Eucharistiam distribuebant et suggerit ut textus canonis sequenti modo emendetur: «Minister ordinarius administrationis SS.mae Euahristiae est sacerdos et diaconus; extraordinarius vero, quilibet christifidelis ad hoc ab Ordinario loci ex pastorali necessitate deputatus».

Rev.mus Secretarius ad. legit quod in voto scribit Exc.mus quartus Consultor scilicet:

«845: § 1. Minister ordinarius sacrae communionis est sacerdos vel quoque diaconus (*Lum. Gent.*, n. 29; *Missale Rom.*, n. 61. De acolythis, cf. *Liturgicae instauraciones*, n. 6, d).

§ 2. Extraordinarius minister est omnis christifidelis qui, iusta de causa, licentiam obtinuit ab ipso Ordinario, vel etiam a parocho aut a rectore ecclesiae. Qui minister extraordinarius vita christiana, fide moribusque excelleat et matuoriore aetate commendetur oportet, necnon rite instructus ad tam nobile munus explendum (Instr. S.C. Sacr. *Fidei custos*, diei 30 aprilis 1969)».

Etiam Exc.mus. octavus Consultor in voto scribit quod «Minister Ordinarius sacrae communionis est sacerdos vel diaconus».

Rev.mus Secretarius ad. refert quod dicitur in *Instructione tertia de S. Liturgia* n. 6, d, scilicet: «Est imprimis sacerdotis celebrantis Communionem ministrare, deinde diaconi, et quibusdam in casibus a competenti Auctoritate statuendis, acolythi. Sancta Sedes concedere potest ut aliae quoque cognitae et probae personae, quae mandatum habuerint, ad hoc destinentur. Non licet autem Communionem ab iis qui hoc mandatum non habeant distribui, aut vasa sacra cum SS. Sacramento deferri».

Quoad vero modum S. Communionem distribuendi ex parte Christifidelium Rev.mus Secretarius adjunctus, una cum Rev.mo septimo Consultore, proponit ut remittatur « ad praescripta Episcoporum Conferentiae ».

Cann. 846-847

Concordant omnes ut canones supprimantur sed in alio loco aliquid dicatur de can. 846, § 1. Scilicet « licet cuilibet sacerdoti omni tempore quo celebrari potest Sacram Communio ministrare salvis praescriptis... ».

Cann. 848-850

Rev.mus quintus Consultor proponit textum sequentem qui omnes illos canones comprehendit: « Ius et officium SS.mae Eucharistiae ad infirmos per modum viatici deferendi pertinet ad loci parochum, salvis canonibus... (nunc 397, n. 3 et 514; §§ 1-3); sed caeteri ministri huius sacramenti administrationis id facere quoque valent de licentia saltem praesumpta parochi vel Ordinarii.

Sacram communionem ad infirmos deferre potest quilibet huius sacramenti administrationis minister ».

Rev.mus secundus Consultor notat quod ponenda est quaestio etiam de sacramento Poenitentiae cum diaconus sacram communionem per modum viatici ad infirmos deferat.

Rev.mus Secretarius ad. ponit duas quaestiones:

1) Utrum liceat sacerdotibus catholicis cum sacerdotibus vel ministris aliarum Ecclesiarum concelebrare necne.

Omnis concordant ut aliquid dicatur de hac quaestione ubi de Ministro et Rev.mus quintus Consultor proponit textum sequentem: « Non licet sacerdotibus catholicis cum sacerdotibus vel ministris aliarum Ecclesiarum aut communictatum ecclesialium Eucharistiam concelebrare ».

2) Utrum liceat catholicis petere SS.mam Eucharistiam a Ministris non catholicis necne.

Rev.mus quintus Consultor proponit sequentem textum, secundum *Directorium oecumenicum*; nn. 41, 44, 45, 55: « — Catholicis licet petere SS.man Eucharistiam ab iis ministris acatholicis, in quorum Ecclesiis habentur valida sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et accessus ad ministrum catholicum impossibilis evadat.

— Orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, si Eucharistiam sponte petant et rite sint dispositi, idem Sacramentum eis conferri potest.

— Caeteris christianis ministri catholici SS.mam Eucharistiam tribuerre possunt si id sponte petant et rite sint dispositi, dummodo fidem consentaneam fidei Ecclesiae catholicae quoad hoc sacramentum exprimant nec non ad proprium ministrum adire nequeant et in periculo mortis aut urgente necessitate inveniantur ».

Rev.mus Secretarius ad. mentionem facit de declarione Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam ubi in n. 3 dicitur: « Il decreto conciliare sulle Chiese orientali cattoliche, *Orientalium Ecclesiarum*, entrando in alcune precisioni, permette agli orientali che non sono in piena comunione con la sede apostolica di Roma, i quali si trovano nelle condizioni richieste, di accedere ai sacramenti della penitenza, dell'Eucaristia e dell'unzione degli infermi. Il decreto autorizza ugualmente i cattolici a domandare questi stessi sacramenti a sacerdoti orientali ogni qualvolta che la necessità o una vera utilità spirituale lo richiedano e sia materialmente o moralmente impossibile accedere a un sacerdote cattolico. Vengono anche raccomandati a questo proposito i contatti tra le autorità ecclesiastiche delle Chiese in causa (cf. *Orientalium Ecclesiarum*, 27, 29) ».

Ipse Rev.mus proponit ut de hac materia sermo fiat in canonibus ubi de Sacramentis in genere tractetur. Etiam Rev.mus secundus Consultor censem normam hanc enuntiandam esse in canone de Sacramentis in genere, quia spectat ad Sacraenta Poenitentiae, Eucaristiae et Unctionis infirmorum.

Placet omnibus.

Can. 851

Concordant omnes ut de hoc tractetur ubi agitur de ritibus et caerimoniis, et maneat canon uti est ad § 1, e contra § 2 maneat uti est quoad substantiam.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur « Fidelis in quolibet rito Sacmentum Eucaristiae accipere potest ». Notant Rev.mi tertius Consultor et Secretarius ad. quod hic agitur de Ministro Sac. Communioonis non de subiecto. Suggerit Rev.mus Secretarius ad. ut canon maneat sed adiungatur formula « iusta de causa ».

Can. 852

Hic quaestio ponitur de Sacra Communione sub utraque specie administranda.

Rev.mus Secretarius ad. legit quod de hac quaestione invenitur in *Instructione tertia ad Constitutionem de Sacra Liturgia*, (AAS n. 9 a. 1970) e contra Rev.mus quintus Consultor refert quod dicitur in *Instructione de ampliore facultate Sacrae Communionis sub utraque specie administranda* (AAS n. 10).

Rev. mus Secretarius ad. petit utrum omnes casus de quo in *Instructione tertia* (AAS n. 9) debeant enumerari in Codice necne.

Rev.mus tertius Consultor proponit textum a Rev.mo quinto Consultore in voto propositum, scilicet: « § 1. Sacramentum Eucharistiae tribuitur, secundum leges liturgicas, vel sub sola specie panis, vel sub utraque specie.

§ 2. De iudicio tamen Episcopi licet Eucharistiam sub specie tantum vini ministrare iis qui eam sub specie panis sumere nequeunt».

Rev.mus septimus Consultor aestimat textum restringi debere ad casum, quo, propter infirmitatem, eucharistia, sub specie tantum vini, ministrari potest.

E contra Exc.mus quartus Consultor praefert ut dicatur «casus necessitatis» loco «casus infirmitatis».

Respondet Rev.mus septimus Consultor quod norma non est nimis extendenda.

Concordant omnes ut ponatur formula: «casus necessitatis», excepto Rev.mo septimo Consultore.

DISCEPTATIO DE SUBIECTO SS. EUCHARISTIAE

Can. 853

Concordant omnes ut canon servetur uti est.

Can. 854

Ad § 1: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut par. 1 sequenti modo emendetur: «Pueris qui nondum huius Sacramenti cognitionem habent, Eucharistia ne ministretur».

Textus ita emendatus placet omnibus.

Ad § 2: Rev.mus septimus Consultor proponit ut par. 2 supprimatur.

Exc.mus quartus Consultor et Rev.mus Secretarius ad. proponunt textum ita emendatum: «In periculo mortis, ut Sanctissima Eucharistia pueris

ministrari possit ac debeat, sufficit ut habiles sint qui Corpus Christi a communi cibo discernant ac reverenter accipient».

Textus hic placet omnibus.

Ad § 3: Secundum Rev.mum Secretarium ad. haec paragraphus servari potest, sed in forma breviore. Animadvertisit Rev.mus tertius Consultor in par. 1 innui duplex elementum scilicet: intellectuale et affectivum; itaque declarat quod non sufficit ut haec paragraphus mentionem faciat tantummodo de elemento intellectuali.

Concordant omnes ut duplex elementum sive intellectuale sive affectivum ponatur in paragrapho.

Rev.mus quintus Consultor suggestit textum in *Instructione de ampliore facultate Sacrae Communionis sub utraque specie administranda*. (nn. 5, 6, AAS, n. 10), contentum, quia in eo adest duplex elementum, scilicet intellectuale et affectivum.

Ad § 4: Concordant omnes ut supprimatur et adiungatur in paragrapho 3 formula sequens: « Parentes vel qui eorum locum tenent curare debent ut pueri debite praeparentur ».

Ad § 5: Consentiant omnes ut textus maneat uti est.

Can. 855

Ad § 1: Exc.mus quartus Consultor declarat quod hic oritur quaestio de divortiatis, quaestio perdifficilis, quae non videtur matura.

Rev.mus quintus Consultor in nota sui voti scribit: « Hodie, ut fertur, aliquibus in locis divortiati et iterum civiliter nupti admittuntur ad sacramentum Eucharistiae ».

Rev.mus primus Consultor suggestit ut canon servetur, sed in par. 1 omittantur verba « quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames ».

Rev.mus tertius Consultor censem verbum « indigni » servari posse quia excludit qualitatem peccati.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod ex verbis « publice indigni » magna difficultas veniret, si in Codice non explicatur quid significat « publice indignus », quia iudicium de publica indignitate videtur esse nimis subiectivum.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit quaestionem iam tractatam esse in *Sacramento de Unctione infirmorum*, can. 5 (CIC 942) ubi dicitur: « Unctio infirmorum ne conferatur illis qui graviter deliquerunt et in consumacia manifesto perseverant ».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut norma generalis tradatur pro omnibus sacramentis. Responde Rev.mus tertius Consultor quod agitur de normis diversis, norma vero de Sacramento Eucharistiae est aliter ac norma de Unctione infirmorum, tamen censem illam formulam qua tales hic sumi posse.

Ad § 2: Concordant omnes ut supprimatur.

Can. 856

Rev.mus quintus Consultor declarat quod canon servari debet quia non est oblioscendum factum aliquatenus novum, fideles scilicet hodie sat facile ad S. Communionem accedere elicto actu contritionis, relicta pro occasione opportuna paenitentia sacramentali; hoc faciunt boni christifideles ob forsitan imminutum numerum sacerdotum, vel eorum disponibilitatem ad audiendas confessiones.

Etiam Rev.mus tertius Consultor censem normam servandam esse ut est in Codice.

E contra Rev.mus Secretarius ad. affirmat quod sufficit ut in Codice sermo fiat de dispositione animi debita.

Rev.mus sextus Consultor animadvertisit quod in antiqua praxi poenitentiali nullus admittebatur ad SS. Communionem sine praemissa sacramentali confessione.

Rev.mus primus Consultor refert quod dicitur in sess. XIII Cap. 7 Conc. Trid., scilicet: «Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscient peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris.

Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur».

Rev.mus quintus Consultor censem non necessariam esse urgentem necessitatem sed tantummodo causam sufficientem ut quis sine praemissa confessione ad Sacram Communionem accedat.

Rev.mus Secretarius ad. notat quod Codex non iudicat de occultis; itaque supprimi debet illa norma quae vetat ne quis sibi conscient gravis peccati, sine praemissa sacramentali confessione ad Sacram Communionem accedat.

Rev.mus sextus Consultor affirms quod contricio perfecta relate ad

Sacram Communionem non sufficit per se sed requiritur confessio sacramentalis; ipse refert quod dicitur in Conc. Trid. Sess. XIII, can. 11, scilicet: «Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum: an. s.» Et «ne tantum Sacmentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat».

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit in can. 11 Sess. XIII Conc. Trident. sermonem non fieri de urgente necessitate ut in Codice; itaque suggerit ut in Codice textus ipse Conc. Trid. Sess. XIII can 11 inseratur.

Rev.mus secundus Consultor affirmat quod in Codice poni potest norma ut nullus sibi conscius peccati mortali quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacra confessione ad S. Eucharistiam accedere debat.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius ad. Codicem agere de peccato tantummodo si peccatum cum aliquo facto externo coaetheret.

Exc.mus quartus Consultor censem canonem omitti posse quia agitur de norma morali.

Em.mus Card. Praeses legit normam a S. Congregatione pro doctrina fidei exarata quoad canonem 856, scilicet: «Nella stessa Feria IV gli Eminentissimi Padri hanno trattato il problema della obbligatorietà della disciplina sancita nel can. 856 CIC, relativamente all'assoluzione sacramentale da premettere alla S. Comunione quando sia stato commesso peccato mortale, e in relazione a tale canone, delle facoltà concesse agli Ordinari dal Decreto *Christus Domnus*. Tale disciplina è stata confermata, e dichiarata aliena dal 'sensus Ecclesiae' la prassi opposta, e si è determinato che le facoltà concesse agli Ordinari dal n. 8 del menzionato decreto *Christus Dominus* non si estendono alla dispensa dal disposto del can. 856. Nella Feria VI 5 Luglio il Santo Padre ha confermato questa decisione».

(Ex litteris S. Congregationis pro doctrina fidei – 15 iulii 1968).

Rev.mus tertius Consultor declarat quod canon manere debet uti iacet propter sequentes rationes:

- 1) Agitur de norma data a Concilio Tridentino;
- 2) Norma ipsa habet momentum pastorale;
- 3) Adest maximum periculum in sublatione huius canonis.

Rev.mus quintus Consultor suggerit ut:

- 1) Canon servetur.
- 2) Unus canon habeatur ubi sermo fiat de christianis omnibus et de sacerdotibus;
- 3) In novo canone redactio mitior fiat ita ut omittatur formula «quod si urgeat necessitas», quia in Conc. Trid. nihil dicitur de urgenti necessitate.

Rev.mus septimus Consultor aestimat periculosum esse reddere confessionem facultativam.

Rev.mus tertius Consultor affirmat quod pro lege gravi, urget gravis causa; itaque Concilium Tridentinum non fecit mentionem de urgenti necessitate, quia illo tempore Communio non erat frequens; e contra Codex, mutatis temporibus, mentionem facere debet de urgenti necessitate.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod formula mitior a Tridentino intelligitur, quia tunc non quotidie celebrabatur.

Rev.mus tertius Consultor suggerit ut in primis agatur de omnibus fidibus, deinde cum sit specialis norma, de sacerdotibus.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit quod in Concilio Tridentino cum agitur de sacerdotibus sermo fit de urgente necessitate quia ponitur formula «quam primum». Ipse refert textum sequentem: «Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur» (Conc. Trid. Sessio XIII, Cap. 7).

Rev.mus secundus Consultor dicit quod canon Concilii Tridentini est norma iuridica et doctrina, quam proponit, potest enuntiari iuridice. Refert quod quidam theologus sibi dixit normam tridentinam confirmare traditionem constantem Ecclesiae. Difficultas psychologica erat in elenco peccatorum mortalium... sed peccata mortalia non correspondent cum illo elenco, quod erat exageratio. Ipse declarat quod Instructio S. Offici statuit Episcopum dispensare non posse super hac lege.

Rev.mus tertius Consultor affirmat quod norma canonis 856 est saltem ex lege ecclesiastica.

Rev.mus septimus Consultor dicit quod norma canonis 856 est ex lege ecclesiastica fundata in lege divina.

Rev.mus sextus Consultor censet quod si de dispositione sermo faciendus sit, nunc sermo fieri debet de sacramentali Confessione, et de peccato mortali.

Rev.mus Secretarius ad. quaestiones per ordinem ponit:

- 1) utrum ponatur in Codice canon de hac materia necne. Respondunt affirmative: Rev.mi primus, tertius, secundus, quintus et septimus Consultores.

Respondunt negative: Exc.mus quartus et Rev.mus sextus Consultores atque Secretarius adiunctus.

2) utrum ponatur eadem norma pro sacerdotibus et fidelibus necne.

Rev.mus tertius Consultor praefert normam peculiarem pro sacerdotibus, quia in Conc. Tridentino sess. XIII Cap. 7 dicitur de sacerdotibus «quam primum confiteatur», hoc est certo ex lege positiva.

Rev.mus sextus Consultor praefert eandem normam tum pro sacerdotibus tum pro fidelibus. Item sentiunt Rev.mi quintus et septimus Consultores. Accedunt ad hanc sententiam etiam Rev.mus tertius et omnes alii Consultores.

3) Quaenam norma dari debeat.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit quod in canone innui debet normam ex traditione venire. Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in canone dici non potest quod norma venit ex traditione.

Rev.mus quintus Consultor proponit sequentem textum: «Qui conscientiam habet peccati mortalis admissi, etiamsi se contritum existimet, (ex constanti Ecclesia traditione) Eucharistiam ne recipiat nisi praemissa sacramentali confessione; quodsi desit copia confessarii et necessitas adsit S. Communione accipiendo, tunc prius actum contritionis eliciat et postea, quando opportunitas aderit confessionem faciat».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut tollatur incisum (ex constanti Ecclesiae traditione), quia videtur periculosum traditionem tamquam fontem statuere.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem: «Qui celebrare aut communionem accipere intendit, sibi conscius mortalis peccati, sacramentalem confessionem praemittat, nisi gravis ratio adest et praesto non habeat confessarios, quo casu actum perfectae contrictionis prius eliciat, ad confessionem deinde accessurus».

Suggerit Rev.mus sextus Consultor ut in canone mentio fiat de Sacerdotibus et de fidelibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem: «Minister qui celebrare aut Christifidelis qui accipere Communionem intendit sacram confessionem praemittat nisi gravis ratio adsit et praesto non habeat confessarios... etc.».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut omittantur verbum «celebrare» quia communio est actus substantialis celebrationis sive pro fidelibus sive pro sacerdotibus.

Non consentiunt de hoc Rev.mi septimus et tertius Consultores. Omnes Consultores concordant ut in canone ponatur utrumque verbum, scilicet celebratio et communio.

Rev.mus Secretarius ad. proponit novum textum: «Qui, Minister aut Christifidelis, conscius sibi est mortalis peccati, corpori Domini ne communicet, priusquam ad sacramentalem Confessionem accederit, nisi adsit gravis ratio et praesto non habeat confessarium, quo casu...etc.». Qui tex-tus placet.

Can. 857

Rev.mus primus Consultor proponit ut canon sequenti modo emende-tur: «§ 1. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam recipere, qui eam ea-dem die iam receperit, nisi in peculiaribus adiunctis qui in sequenti § 2 re-censemuntur.

§ 2. Licet fideli sanctissimam Eucharistiam iterum eadem die recipere:

- 1) in periculo mortis;
- 2) in necessitate impediendi irriverentiam in sacramentum;
- 3) in Missa diei dominicae vel festi de praecepto anticipatae ad ve-speram diei praecedentis, etsi mane iam communicaverit;
- 4) in Missa vespertina feriae V in Cena Domini etsi mane commu-nicaverit in Missa Chrismatis;
- 5) in Missa diei Paschatis et diei Nativitatis Domini, etsi nocte iam communicaverit in Missa Vigiliae paschalis et in prima Missa Nativitatis Domini ».

Rev.mus quintus Consultor declarat quod notandum est hodie crebo fideles bona fide putare se toties ad S. Communionem eodem die accedere posse quoties ad S. Sacrificium participant; forsitan latior legislatio condi posset.

Ipse proponit canonem sequenti modo emendatum: «Nemini liceat SS.mam Eucharistiam recipere, qui eam eadem die iam receperit, nisi aga-tur de Viatico, aut de necessitate impediendi irreverentiam erga sacra-men-tum, aut de casibus in iure liturgico probatis».

Exc.mus quartus Consultor petit cur non permittatur Sanctissimam Eucharistiam denuo recipere cum eodem die in alia missa iam recepta sit.

Rev.mus sextus Consultor refert quod dicit *Instructio de ampliore facul-tate S. Communionis sub utraque specie administranda* (AAS, n. 10 – 1970), scilicet: «Sacramentali Communione fideles perfectius inseri in ce-lebrationem Eucharisticam universa traditio Ecclesiae docet». Ipse notat quod celebratio Eucharistica est in forma coenae et in coena semper man-

ducandum est; itaque non videt cur non permittatur SS. Eucharistiam recipere denuo cum eodem die in alia missa iam recepta sit.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod in traditione Ecclesiae erat reactio contra talēm praxim, admittit tamen fundatas rationes theologicas a Rev.mo sexto Consultore expositas.

Rev.mus secundus Consultor non consentit cum Rev.mo sexto Consultore propter rationes sequentes:

1) ratio theologica: perfectio S. Missae non consistit tantum in Communione sed in ipsa actione unitiva cum sacrificio Christi.

2) ratio psychologica: modo humano et debito non potest pluries in die S. Communio sumi.

3) ratio historica: praxis proposita non est secundum traditionem Ecclesiae. Respondet Rev.mus sextus Consultor quod idem valet de participatione S. Missae sine communione.

Exc.mus quartus Consultor aestimat Communionem pluries in die magis esse conformem doctrinae theologicae.

Rev.mus septimus Consultor consentit de rationibus practicis et psychologicis a Rev.mo secundo Consultore expressis, tamen censet ampliandam esse facultatem ita ut fideles pluries accedere possint ad Sanctam Communionem.

Rev.mus quintus Consultor petit cur Sacerdos semper Eucharistiam sumat in Missa, e contra fideles tantummodo semel in die?

Rev.mus secundus Consultor proponit ut quaestio mittatur ad S. Congregationem pro doctrina Fidei.

Rev.mus sextus Consultor refert Instructionem Sacrae Congregationis pro Cultu Divino diei 29 iunii 1970, ubi legitur quod fideles «Hoc enim modo Sacrificii eucharisticī plene fiunt participes, id est non tantum fide et externa precatio, neque Christo super altare oblato sese spirituali tantummodo affectu iungentes, sed etiam Eum ipsum sacramentaliter sumendo, ut sibi sanctissimi huius Sacrificii fructum comparent uberiorem».

Rev.mus primus Consultor refert Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 53 ubi dicitur: «Valde commendatur illa perfectior Missae participatio qua fideles post Communionem sacerdotis ex eodem sacrificio Corpus Dominicum sumunt».

Rev.mus secundus Consultor declarat quod difficilis est ut quis habeat «illam conscientiam, actuosam atque plenam participationem...corporis nempe et animi, fide, spe et caritate ferventem...quae ab Ecclesia exoptatur...» (cf: *Instr. Gen. Missalis Romani*, n. 3). Itaque censet perdifficile esse ut quis modo humano et debito possit pluries in die S. Communionem sumere.

Rev.mus Secretarius ad. resumit diversas sententias, sequenti modo:

Alii tenent: perfectionem in Missa haberi cum fideles semper accedunt ad Communionem.

Alii tenent: fideles non posse pluries in die accedere ad Communionem, quia:

a) traditio est contraria, ad abusos vitandos;

b) psychologice difficile videtur pluries in die accedere ad Communionem.

Fit suffragatio:

Exc.mus quartus, Rev.mi quintus, primus et sextus Consultores sustinent primam propositionem, scilicet «fideles pluries in die accedere possunt ad S. Communionem».

Rev.mis tertio Consultori et Secretario ad. placet prima propositio sed ipsi proponunt ut quaesitum fiat ad S. Congregationem pro Doctrina Fidei.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut amplificetur facultas sed non indiscriminatim.

Rev.mo secundo Consultori propositio prima non placet.

Concordant omnes ut extra Missam semel tantum in die fideles accedere possint ad S. Communionem.

Exc.mus quartus Consultor petit num facere quis possit S. Communionem pluries in die in Missa communitaria cum aliqua sollemnitate celebrata.

Concordant omnes ut in hoc casu pluries in die quis accedere possit ad SS. Eucharistiam.

Can. 858

Rev.mus secundus Consultor proponit ut verbum «infirmi» mutetur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit formulam «qui infirmitate quadam laborant» quae placet omnibus.

Can. 859

Rev.mus secundus Consultor proponit ut ipso iure obligatio de praecerto Paschali extendatur ad totum annum.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hoc est contra traditionem, quia tempus Paschatis semper fuit tempus peculiare et definitum.

Exc.mus quartus Consultor sub aspectu pastorali notat quod pro sacerdotibus facilius est advigilare si fideles paeceptum paschale servent si tempus sit definitum et peculiare.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut tempus utile pro praeecepto paschali valde extendatur.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut tribuatur Ordinario facultas statuendi et prorogandi tempus utile pro praeecepto paschali.

De hoc consentiunt omnes.

Ad § 1: Rev.mus Secretarius ad. proponit textum a Rev.mo quinto Consultore in voto propositum, scilicet: «Omnis fideles, postquam ad S. Communionem iam fuerint admissi, debent saltem semel in anno, praesertim in Pascha, Eucharistiae sacramentum accipere».

Rev.mus sextus Consultor proponit formulam «et quidem tempore paschali» loco «praesertim in Pascha». Placet omnibus.

Ad § 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit textum a Rev.mo primo Consultore paratum in voto, scilicet: «Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam II Paschae *in albis*; sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum et locorum adiuncta exigant, hoc tempus convenienter anticipare vel prorogare».

Exc.mus quartus Consultor proponit «usque ad Pentecostem» loco «ad dominicam II Paschae». Placet omnibus.

Ad § 3: Consentiunt omnes ut deleatur.

Ad § 4: Concordant omnes ut maneat.

Can. 860

Concordant omnes ut canon supprimatur.

Can. 861

Consentiunt omnes ut deleatur.

Can. 862

Concordant omnes ut canon supprimatur exceptis Rev.mis quinto, secundo et septimo Consultoribus.

Cann. 863-865

Consentiunt omnes ut canones maneant. De communione cotidiana (can. 863) textus habetur in Instructione *Eucharisticum Mysterium* n. 37, cuius ratio haberi debet.

Can. 866.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum in voto paratum a Rev.mo quinto Consultore, scilicet: « Fideles Eucharistiae Sacramentum in quolibet ritu accipere possunt ».

Placet omnibus.

Ipse proponit etiam ut §§ 2 et 3 omittantur quia non videntur necessariae.

Placet omnibus.

Hic oritur quaestio de ministris non catholicis et Rev.mus quintus Consultor denuo proponit textum sequentem, in voto, cum relativis adnotationibus:

« Catholicis licet petere SS.mam Eucharistiam ab iis ministris acatholicis, in quorum Ecclesiis habentur valida sacramenta, quotiescumque id necessitas aut vera spiritualis utilitas suadeat, et accessus ad ministrum catholicum impossibilis evadat.

Nota: cf. Vat. II, Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 27 et *Directorium oecumenicum*, nn. 44, 45 et 55.

Orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, si Eucharistiam sponte petant et rite sint dispositi, idem Sacramentum eis conferri potest.

Nota: cf. Vat. II, Decr. *Orient. Eccl.*, n. 27 et *Directorium oecumenicum* n. 41.

Ceteris christianis ministri catholici ss.mam Eucharistiam tribuere possunt si id sponte petant et rite sint dispositi, dummodo fidem consentaneam fidei Ecclesiae catholicae quoad hoc sacramentum exprimant nec non ad proprium ministrum adire nequeant et in periculo mortis aut urgente necessitate inveniantur.

Nota: cf. *Direct. oecumenicum* n. 55.

Textus placet Consultoribus, sed cum aliquibus emendationibus.

DISCEPTATIO DE RITIBUS ET CAEREMONIIS

Can. 814

Rev.mus tertius Consultor proponit ut canon maneat uti est. Consentient omnes excepto Rev.mo quinto Consultore qui proponit textum sequentem: « Ad celebrandum Dominicum Convivium adhibetur panis et vinum cui modicissima aqua admiscenda est ».

Can. 815

Consentient omnes ut maneat uti est.

Can. 816

Rev.mus quintus Consultor proponit ut huc transferatur can. 1272.

Rev.mus secundus Consultor suggerit ut mentio de pane azymo vel fermentato in Codice non fiat quia sufficit quod in Missali dicitur. Haec suggestio aliis non placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut can. 1272 transferatur sub hoc titulo sed in parte speciali, scilicet ubi de custodia SS. Eucharistiae, agitur.

Placet omnibus.

Concordant omnes ut in Codice mentio fit de pane azymo et fermentato et regula remaneat uti est.

Can. 817

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur «extra Missae celebrationis Ordinem» Consentient omnes ut canon retineatur.

Can. 818

Exc.mus quartus Consultor proponit textum sequentem qui placet omnibus: «§ 1. In Eucharistiae celebratione, praetcer supremam Ecclesiae auctoritatem et, ad normam iuris, Episcopum et Conferentias episcopales, nemini licet, ne sacerdoti quidem, quidquam proprio marte in Liturgia addere, demere aut mutare.

§ 2. Sacerdotes, inter celebrationis formas a iure permissas, eas in singulis casibus eligere satagent quae fidelium necessitatibus vel utilitati eorumque participationi magis consulere videantur ».

Can. 819

Rev.mus primus Consultor proponit textum sequentem: «Missa celebranda est lingua vel linguis liturgicis a competente Auctoritate praescriptis».

Exc.mus quartus Consultor suggerit ut loco verbi «praescriptis» dicatur «permissis».

Rev.mus primus Consultor e contra proponit formula «iure probatis» loco «a competente auctoritate praescriptis». Placet omnibus, itaque textus erit: «Missa celebranda est linguis liturgicis iure probatis».

Rev.mus primus Consultor proponit etiam novum canonem 819 bis, scilicet: « Ordinarius concedere potest sacerdotibus infirmis aut aetate provectis ut, si stare nequeant, Missam celebrent sedentes, servatis ceteris legibus liturgicis ».

Notat Exc.mus quartus Consultor quod hoc in facultatibus Ordinario concessis dicitur explicite.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod haec facultas semper conceditur ab Ordinario itaque melius est si ipso iure facultas conceditur ad vitanda pericula scandali vel abusus. Sententia Rev.mi tertii Consultoris placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum a Rev.mo primo Consultore proposito, sequenti modo emendatum: « § 1. Sacerdotes infirmi aut aetate provecti, si stare nequeunt, Missam celebrare possunt sedentes, servatis legibus liturgicis, non vero coram populo, nisi de licentia Ordinarii ».

De Sacerdotibus caecis Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem a Rev.mo quinto Consultore in voto propositum: « § 2. Sacerdotibus omnino caecis vel visivae potentiae debilitate laborantibus licet cotidie Missam votivam B.M. Virginis aut defunctorum celebrare, adstante si casus ferat alius sacerdos vel diaconus, aut laicus bene instructus qui eis adiuvet ». Rev.mus tertius Consultor proponit:

- 1) ut concedatur ipso iure caecis facultas dicendi Missam ex probatis, quam ipsi optant;
- 2) ut adiungatur post verbum « caecis » formula « vel ex alia infirmitate laborantibus ».

Emendationes a Rev.mo tertio Consultore propositae placent omnibus.

Rev.mus primus Consultor proponit etiam tertium canonem scilicet: « Si sacra communio extra celebrationem Eucharisticam distribuitur, serventur ritus praescripti, praemissa quoque, si res ferat (opp.: pro opportunitate), brevi celebratione verbi Dei ».

Proponitur ut loco « Missam a Sacerdote vel diacono » dicatur « celebrationem Eucharisticam ».

Canon cum emendatione subdicta placet omnibus.

DISCEPTATIO TEMPORE ET LOCO MISSAE CELEBRANDAE

Can. 820

Rev.mus Secretarius ad., ex voto Exc.mi quarti Consultoris et ex suggestionibus Rev.mi quinti et sexti Consultorum, proponit novum textum

cum duabus paragraphis, sequenti modo: « § 1. Missa celebrari potest omnibus diebus et qualibet hora exceptis quidem diebus qui proprio sacerdoti ritu escluduntur.

§ 2. Idem valet de sacra Communione quae extra Missam distribuatur ».

Can. 821

Canon hic cadit.

Can. 822

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum a Rev.mo primo Consultore in voto paratum, id est:

« § 1. Missa celebrari debet in loco sacro, super altare consecratum vel benedictum (salvis exceptionibus de quibus infra).

§ 2. Ordinarius (loci vel etc.) permettere potest sacerdotibus ut Missam celebrent extra locum sacrum, in loco tamen honesto et decoro, excepto cubiculo, super mensam convenientem, adhibitis semper tobalca et corporali, per modum actus ex iusta causa, habitualiter autem ex causa graviore.

§ 3. Ordinarius loci (*vel*, ex analogia: Ordinarii locorum de quibus in can. 883, § 1) permettere potest sacerdotibus ut Missam celebrent in mari et in fluminibus, ex iusta causa et debitibus adhibitis cautelis.

§ 4 (§ 2 et § 3 hodierni Codicis). Privilegium *altaris portatilis* vel iure vel indulto Sedis tantum Apostolicae conceditur. Privilegium autem huiusmodi ita intelligendum est, ut secum-ferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decoro loco ».

Ad § 1: Textus placet omnibus.

Ad § 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut deleantur verba «excepto cubiculo» et dicatur verbum «decenti» loco «honesto». Exc.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «nunquam autem in cubiculo, nisi ex necessitate».

Textus placet omnibus cum emendationibus ab Exc.mo quarto Consultore et a Rev. mo Secretario ad. propositis.

Ad §§ 3 et 4: Concordant omnes ut omitti possint quia includuntur in §§ 1 et 2.

Can. 823

Rev.mus primus Consultor proponit sequentem textum: «§ 1. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio Missam celebrare in altari alias ritus catholici.

§ 2. In templo acatholicorum Missa ne celebretur sine licentia Ordinarii loci».

Ipse censet § 3 omitti posse.

Rev.mus quintus Consultor citans n. 28 Decreti de Ecclesiis orientalibus, estimat differentiam esse faciendam ut celebrare quis possit in ecclesia orthodoxorum et in templis aliarum Ecclesiarum non catholicarum.

**DISCEPTATIO DE TEMPORE ET LOCO
QUO SACRA COMMUNIO DISTRIBUI POTEST**

Can. 867

Textus propositus a Rev.mo primo Consultore: «§ 1. Sacra communio distribui potest omnibus anni diebus.

§ 2. Feria V in Cena Domini sacra communio distribui potest tantum intra Missas vel statim ab iis expletis.

§ 3. Feria VI in Passione Domini sacra communio distribui potest tantum intra sollemnem Actionem liturgicam.

§ 4. Sabbato Sancto sacra communio distribui potest tantum intra Missam vel statim ab ea expleta.

§ 5. Aliis diebus per annum sacra communio distribui potest non tantum intra Missam sed etiama extra, horis matutinis et, de Ordinarii (loci vel etc.) licentia, ex iusta causa, etiam vespertinis.

§ 6. Infirmis in periculo vitae constitutis Sacrum Viaticum deferri potest, etiam pluries, quacumque diei et noctis hora.

§ 7. Aliis infirmis vel aetate provectis, qui ad ecclesiam nullo modo vel sat difficulter accedere possunt, sacra communio deferri potest si ve horis matutinis sive vespertinis prae oculis autem habitis quoad horam et quoad frequentiam necessitatibus spiritualibus totius communitatis fidelium (cf. ad hoc Decr. S. Officii diei 21 martii 1060: *AAS* 1960, p. 356)».

Ad § 1: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungantur verba «Et quacumque hora». Placet omnibus.

Ad § 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut sequenti modo emendetur: «Feria V in Cena Domini sacra communio distribui potest tantum intra celebrationem Eucharisticam aut statim post eandem expletam». Placet omnibus.

Ad § 3: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut omittatur.

Ad § 4: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut omittatur.

Ad § 5: Rev.mus Secretarius ad. suggerit ut sequenti modo emendetur: «Inde a feria V usque ad celebrationem Paschatis sacra communio distribui potest tantum intra sollemnem actionem liturgicam feriae VI in Passione Domini».

Cann. 868-869

Concordant omnes ut omittantur.

Ita explicit materia in hac sessione tractanda.

Determinatur materia in proxima sessione huius coetus tractanda, scilicet recognitio Canonum de custodia Eucharistica et de stipendiis Missarum (cann. 824-844),

NICOLAUS PAVONI
Actuarius

WILLELMUS ONCLIN
Secretarius ad.

APPENDIX I

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT «DE BAPTISMO» DE QUO IN CODICE CANN. 737-779

Can. 1 (CIC 737)

§ 1. Baptismus valide confertur tantummodo per ablutionem aquae verae cum legitima verborum forma.

§ 2. Baptismus ministratur sive forma sollempniore, scilicet omnibus servatis ritibus et caeremoniis quae in probatis ritualibus libris praecipiuntur, sive forma simpliciore.

Caput I
DE MINISTRO BAPTISMI

Can. 2 (CIC 738)

§ 1. Minister ordinarius baptismi est sacerdos aut diaconus, salvo quidem iure parochorum de quo in can..., necnon servatis probatorum liturgicorum librorum praescriptis.

§ 2. Absente aut impedito sacerdote et diacono, licite baptismum administrat catechista, immo in casu necessitatis quilibet homo, servatis quidem librorum liturgicorum praescriptis.

Can. 3 (CIC 739)

In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre ne sui quidem loci incolis.

Can. 4 (CIC 744)

Adultorum baptismus, ubi commode id fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si id expedire iudicaverit, ab eo aut ab eius delegato sollemnius conferatur.

Caput II
DE BAPTISMI SUBJECTO

Can. 5 (CIC 745)

Baptismi recipiendi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus.

Can. 6 (CIC 747)

Fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit baptizentur.

Can. 7 (CIC 749)

Infans expositus aut inventus nisi, re diligenter investigata, de eius baptismo constet, baptizetur.

Can. 8 (CIC 750-751)

§ 1. Ut infans licite baptizetur, oportet:

1° ut spes habeatur fundata eum in religione catholica educatum iri;

2° ut parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenent, consentiunt.

§ 2. Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo versetur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo ambo parentes aut ei qui legitime eorundem locum tenent non sint expresse contrarii.

Can. 9 (CIC 752)

§ 1. Adultus ut baptizari possit, requiritur ut voluntatem suam baptismum recipiendi manifestet et sufficienter fidei veritatibus sit instructus.

§ 2. Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari potest, si aliquam de praecipuis fidei veritatibus habeat cognitionem et quovis modo intentionem suam baptismum recipiendi manifestaverit.

Can. 10 (novus)

§ 1. Qui dubie baptizatus est, dubio quidem post seriam investigationem permanente, baptizetur.

§ 2. Qui in aliqua Communitate ecclesiali non catholica baptizatus est, praesumitur valide baptizatus et baptizari non potest, nisi inspecta liturgica forma in baptismo collato adhibita, necnon attenta intentione ministri baptizantis, constet in casu baptismum invalide fuisse collatum.

§ 3. Quod si, in casibus de quibus in §§ 1 et 2, dubia remaneat baptissimi collatio aut validitas, baptismus ne conferatur nisi postquam ipsi baptizando, si sit adultus, doctrina de baptismi sacramento exponatur, atque, quando ritus baptismi iteretur, eidem baptizando aut, si de infante agatur, eius parentibus rationes dubiae validitatis ritus iam celebrati declarentur.

Caput III**DE RITIBUS ET CAEREMONIIS BAPTISM***Can. 11 (CIC 756)*

§ 1. Proles ritu parentum baptizetur.

§ 2. Si alter parentum ad ritum latinum pertineat, alter ad aliquem ritum orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.

§ 3. Si unus tantum parentum sit catholicus, proles ritu catholico baptizetur, secundum normas peculiares aut praescripta Episcoporum Conferentiae regionis.

Can. 12 (CIC 757)

Extra casum necessitatis, baptismus ne conferatur nisi cum acqua ad hoc benedicta.

Can. 13 (CIC 758)

Baptismus conferri potest sive per infusionem sive per immersionem, iuxta Episcoporum Conferentiae regionis praescripta.

Can. 14 (CIC 759)

Infans extra ecclesiam baptizatus, congruo tempore ad ecclesiam deferratur ut in eadem praesentetur.

Can. 15 (CIC 761)

Curent parochi ut ei qui baptizatur non imponatur nomen a sensu christiano alienum.

Caput IV

DE PATRINIS

Can. 16 (CIC 762)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, nemo baptizetur nisi suum habeat, quantum id fieri possit, patrinum.

Can. 17 (CIC 764)

Patrinus unus tantum, eiusdem vel diversi a baptizando sexus, vel etiam unus et una adhibeantur.

Can. 18 (CIC 765)

Ut quis patrinus esse valeat, oportet:

1° sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° religionem profiteatur catholicam; frater seiunctus, si ad normam legitimorum praescriptorum admitti valeat, nonnisi una cum alio patrino catholico admittatur.

3° non sit sententia condemnatoria vel declaratoria excommunicatus nec infamis infamia iuris nec exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

4° non sit pater aut mater aut coniux baptizandi;

5° sit ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro designatus.

Can. 19 (CIC 766)

Ut quis licite patrinus admittatur, oportet:

1° decimum sextum aetatis suae annum expleverit, nisi gravis causa aliud suadeat;

2° bona fama canonice gaudeat;

3° sit doctrina christiana rite instructus et habilis qui officia patrino propria assumat et adimpleat;

4° non sit in istituto religioso novitus vel professus, nisi necessitas urgeat aut expressa habeatur venia Superioris saltem localis.

Can. 20 (CIC 769)

Patrini, ex suscepto munere, est curare, deficientibus praesertim parentibus, ut baptizatus conscientiam baptismati congruam ducat obligationesque eidem inherentes fideliter adimpleat.

Caput V**DE TEMPORE ET LOCO BAPTISMI***Can. 21 (CIC 770)*

§ 1. Parentes obligatione tenentur curandi ut infantes infra priores post nativitatem hebdomadas baptizentur, et parochi curent ut de hac obligatione fideles debite instruantur.

§ 2. Si infans in periculo mortis versetur, sine mora baptizetur.

Can. 22 (CIC 772)

Licet baptismus quolibet die celebrari possit, serventur de hac re praescripta ab Episcopis Episcoporumve Conferentiis statuta.

Can. 23 (CIC 773)

§ 1. Proprius baptismi in forma sollempniore administrandi locus est baptisterium in ecclesia aut oratorio publico.

§ 2. Salvis iuribus quae sitis, pro regula habeatur ut infans in ecclesia paroeciali parentum baptizetur, nisi gravis causa aliud suadeat.

Can. 24 (CIC 774)

§ 1. Quaelibet ecclesia paroecialis baptismalem habeat fontem, salvo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quae sitis.

§ 2. Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines.

Can. 25 (CIC 775)

Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis baptismalis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommmodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus forma sollemni a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec fonte baptismali careant.

Can. 26 (CIC 776)

Praeter casum necessitatis baptismus ne conferatur in domibus privatis, nisi Ordinarius loci iusta et rationabili de causa id permiserit.

Caput IV**DE COLLATI BAPTISMI PROBATIONE ET ADNOTATIONE***Can. 27 (novus)*

Qui baptismum administrat ad normam can. 2 (738) curet ut, nisi adsit patrinus, habeantur duo testes quibus collatio baptismi probari possit.

Can. 28 (CIC 777)

§ 1. Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre.

§ 2. Si de illegitimis filiis agitur, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris inserendum est, si eius paternitas probatur sive publico documento etiam civili sive ipsius declaratione coram parocho et duobus testibus facta; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus tanquam filius patris ignoti aut ignororum parentum.

Can. 29 (CIC 778 et novus)

§ 1. Si baptismus nec a parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister baptismi, quicumque sit, de collato baptismo certiore facere debet parochum paroeciae in qua baptismus administratus est.

§ 2. Si baptismus administratus fuerit in paroecia quae non est parentum propria, parochus paroeciae in qua baptismus collatus est, certiore facere debet parochum paroeciae in qua parentes domicilium aut quasi-domicilium habent; qui parochus paroeciae parentum propriae in baptizatorum libro adnotet, mentione facta de nomine baptizati eiusque parentum, se certiore factum esse infantem in alia paroecia esse haptizatum.

Can. 30 (CIC 779)

Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius baptizati iuriurandum, si ipse in aetate adulta baptismum receperit.

APPENDIX II

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI
SUNT DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS
DE QUO IN CIC CANN. 780-800

Can. 1 (CIC 780-781)

§ 1. Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositiōnem cum unctione chrismatis in fronte, ipsa ministri manu facta, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.

§ 2. Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero ad normam canonum qui sequuntur a presbytero ministretur.

Can. 2 (novus)

Ut Sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana connexio eluceat, promissiones baptismi renovent confirmationem recepturi.

Caput I

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO

Can. 3 (CIC 782 § 1)

§ 1. Ordinarius confirmationis minister est Episcopus.

§ 2. Extraordinarius confirmationis minister est presbyter, cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit.

Can. 4 (CIC 782 § 3)

Ipsò iure facultate confirmationem ministrandi gaudent:

1. intra fines sui territorii, qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;
2. quoad eos qui in periculo mortis versantur parochi, immo omnes presbyteri; parocco autem non impedito, aliis presbyteris confirmationem ministrare non licet.

Can. 5 (novus)

Curet Episcopus dioecesanus ut, quatenus id fieri possit, confirmationem administret per se aut per alium Episcopum; quod si adiuncta loci vel temporis id requirant, facultatem concedere potest Episcopus dioecesanus certo presbytero vel certis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent.

Can. 6 (CIC 783)

§ 1. Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam extraneis, qui a proprio parocho praesentantur.

§ 2. Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta Ordinarii loci.

Can. 7 (CIC 782 ss. 4-5)

Solis fidelibus sui ritus licite confirmationem conferunt tum presbyter latini ritus qui facultate confirmandi ad normam can. 5 gaudet tum presbyter ritus orientalis qui eadem facultate ipso iure aut concessione peculiari pollet.

Can. 8 (CIC 784)

Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis a proprio parocho praesentatis quoque licite confert; eam vero in alieno territorio, nemini valide confert salvo can. 4, 2°.

Can. 9 (CIC 785)

§ 1. Episcopus dioecesanus obligatione tenetur per se vel per alium sacramentum confirmationis subditis rite et rationabiliter potentibus conferendi.

§ 2. Eadem obligatione tenetur presbyter qui hac facultate gaudet, erga eos in quorum favorem facultas concessa est.

Caput II

DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO

Can. 10 (CIC 786)

§ 1. Confirmationis recipiendae capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confirmatus.

§ 2. Ut quis licite et fructuose confirmationem recipiat requiritur ut sit rite dispositus atque, si usu rationis pollet, sufficienter instructus.

Can. 11 (CIC 787)

Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obligatione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; current animarum pastores, praesertim parochi, ut fideles ad hoc sacramentum recipientum debite instruantur et ad illud tempore opportuno accedant.

Can. 12 (CIC 788)

Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentia decreto determinatum, nisi adsit periculum mortis, aut de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat.

Caput III**DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE***Can. 13 (CIC 790)*

Sacramentum confirmationis quovis tempore conferri potest.

Can. 14 (CIC 791)

Licet expedit ut Sacramentum confirmationis in ecclesia, et quidem intra Missam, ministretur, ex causa tamen iusta et rationabili extra Missam et quolibet loco digno conferri potest.

Can. 15 (CIC 792)

Intra territorium in quo confirmationem conferre valent, ministri in locis exemptis quoque eam ministrare possunt.

Caput IV**DE PATRINIS***Can. 16 (CIC 793)*

Ex vetustissimo Ecclesiae more, in confirmatione, quantum id fieri possit, adsit patrinus.

Can. 17 (CIC 795)

Ut quis patrinus esse valeat, oportet:

1° sit confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° religionem profiteatur catholicam, nec sit ulla ex poenis de quibus in can. 18 (de baptismo), n. 3 per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam notatus;

3° non sit pater aut mater aut coniux confirmandi;

4º sit a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a parocho vel a ministro designatus.

Can. 18 (CIC 796)

Ut quis licite ad munus patrini admittatur, requisitis satisfacere debet can. 19 (de baptismo) statutis.

Can. 19 (CIC 797)

Patrini, ex suscepto munere, est curare ut confirmatus tanquam verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inherentes fideliter adimpleat.

Caput V

DE COLLATAE CONFIRMATIONIS ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 20 (CIC 798)

Parochus debet nomina confirmatorum, mentione facta ministri, parentum et patrinorum, loci et diei confirmationis collatae, in confirmatorum libro sedulo referre, itemque de collata confirmatione monere parochum loci in quo confirmati baptizati sunt, ut adnotatio fiat in libro baptizatorum, ad normam can. 470, § 2.

Can. 21 (CIC 799)

Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, eundem de collata confirmatione minister per se vel per alium quamprimum certiore faciat.

APPENDIX III

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT
DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM
DE QUO IN CIC CANN. 637-647

Can. 1 (CIC 937)

Unctio infirmorum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.

Caput I
DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 2 (CIC 938)

§ 1. Unctionem infirmorum valide administrat omnis et solus sacerdos.

§ 2. Salvis praescriptis cc. 397, n. 3 et 514, ss 1-3, officium et ius unctionem infirmorum ministrandi est parocho loci in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi aut Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum licite ministrat.

Caput II
DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBJECTO

Can. 3 (CIC 940)

§ 1. Unctio infirmorum tantummodo ministrari potest fideli, qui post adeptum rationis usum gravi infirmitate vel senio laborat.

§ 2. Eadem infirmitate durante hoc sacramentum ne iteretur; conferri vero potest ei qui post susceptam unctionem convaluerit et in gravem quandam infirmitatem iterum inciderit.

Can. 4 (CIC 941)

In dubio num infirmus rationis usum attigerit, num gravis sit infirmitas qua afficitur aut num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur.

Can. 5 (CIC 942)

Unctio infirmorum ne conferatur illis qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant.

Can. 6 (CIC 943)

Infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, hoc sacramentum implicite saltem petierint, conferatur.

Can. 7 (CIC 944)

Quamvis Unctio infirmorum per se non sit de necessitate medii ad salutem, fideles tempore idoneo illud recipient; curent praesertim animarum pastores et infirmorum propinquui ut tempore opportuno hoc sacramento iidem subleventur.

Caput II

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS UNCTIONE INFIRMORUM

Can. 8 (CIC 945)

Oleum olivarum, in sacramento Unctionis infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtainuerit.

Can. 9 (CIC 947)

§ 1. Unctiones verbis, ordine et modo in probatis liturgicis libris praescripto, accurate peragantur; in casu tamen necessitatis sufficit unctio unica in fronte, vel etiam in aliquo sensu, cum praescripta quidem breviore forma.

§ 2. Unctiones peragat minister propria manu, nisi gravis ratio usum instrumenti suadeat.

